UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XIII. Aliquot obiectionum, quæ aduersus superiorem de Libero arbitrio definitionem afferuntur, refutatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

Visual Library

sus tanquam diabolis non esse ademptam: reipsa tamen ea dona, nisi à Dei Spiritu de nouo infundantur & formentur, non inesse in nobis. Postquam autem Dei Spiritu innouati sumus, & ab illa peccati seruitute (cui natura addicti manemus) per Christum liberamur, tunc nos intelligere, atque etiam sponte lubentérque velle quæ sancta sunt, quæ bona, quæ honesta. Esse autem eam ipsam voluntatem, qua iam illa honesta volumus, re & essentia quidem eandem quam prius habebamus: motu tantùm, & appetitu, id est, qualitate à seipsa diuersam. Neque voluntatem nostram, siue bonam, siue malam (quatenus volitio est, id est, vult & expetit, spontaneam & volentem semper esse, nũquam autem inuitam, nunquam etiam coactam dicimus, quia voluntas quæ non vult, non est voluntas.

CAP. XIII.

Aliquot obiectionum, quæ aduersus superiorem de Libero arbitrio definitionem afferuntur, refutatio.

HÆC autem, quanquam non modò scitè, sed etiam verè & rectè dicuntur, interuenit tamen obstinatorum quorundam tanquam Academicorum secta, rerum omniũ perturbatrix, quę multa contrà obiicit. Neque tamen omnia eorum argumenta persequemur, sed quæ videntur præcipuæ

cipuę & robuſtiſſimę eorũ eſſe obiectiones. Illę vero maximè tres ſunt, ex quibus hęc prima eſt. Reddi nimirũ ex hac doctrina homines ad bonorum operũ ſtudiũ omnino pigros & ſegnes, dum ad ea nullas eſſe nobis à nobis ipſis vires, nullámq; ἰκανότητα docemur. Certè facilis eſt ad tã robuſtũ argumentũ reſpõſio. Nã quũ docentur homines quid per ſe non poſſint, quámque ſint imbecilles & infirmi, ad Deum confugere admonentur, eóque ardentius robur vitæque nouitatem poſtulare à Deo, quò magis ſe omni bono natura vacuos eſſe intelligunt. Quẽadmodum qui ſe non niſi alio docente artem aliquam percepturum eſſe animaduertit, eò diligentius ad magiſtrum accedit, ſi modò illius diſcendæ deſiderio tenetur, quò magis ingenij hebetis & obtuſi ſibi conſcius eſt. Quòd ſi à nobis diceretur, hominem eſſe bonæ illius voluntatis accipiẽdæ omnino incapacem, neque cor, animúmque eius à Deo inflecti poſſe (quod de diabolis dici poteſt) certè omne bonorũ operũ ſtudium & conatum omnem à nobis extingui fateremur. Sed quanquam omnis ἰκανότης noſtra ad bene operandum eſt à Deo: quãquam regenerandi ſumus, vt bene agamus: quanquam is etiam ipſe affectus & motus eſt à Dei nos præuenientis gratia & ſpiritu, quum & nos tales eſſe dolemus, & Dei gratiam nobis petimus dari: tamẽ pollicetur Dominus ſe, quod iubet præſtiturum, facturúmque, vt ipſi faciamus: ſe noſtras preces exauditurum: ſe vel leues illos motus, & primos conatus, quos ipſe iniicit, otioſos & languentes minimè deſerturum: ſed gratiam

gratiæ additurum, vt eò simus ad bene conandum,& agendum idoneiores,& viuendum alacriores.facit igitur superior nostra, & vera quidem disputatio potius, vt quia cognoscimus à quo nobis detur optima bene agendi ratio, & vnde sit virtutis initium,vnde continuatio, eam quæramus,& à Deo,à quo solo dari potest,postulemus:aliã autè quàm verã bene conãdi & agendi viam (præter ita edoctos Christianos) ineundam nobis non proponamus. Alterum verò,quo nos aduersarij oppugnant, argumentum est huiusmodi,Si vera sunt,quæ dicimus, videri homines necessitate iam quadam peccare, non voluntate,quum ipsi per se nihil aliud, nisi peccare,atque malè agere possint.Itaque erunt improbi & scelerati omnes excusatione, atque venia digniſſimi: nulla autem pœna vel à Deo, vel à Magistratu coercendi, vt qui necessariò peccent,ac velut coacti. Hoc certè fuisse maximum profanorum Philosophorũ aduersus hãc sanam & orthodoxam de libero arbitrio sententiam telum agnoscimus,quod;quũ,ex Christianis patribus quidam vel malè exciperẽt, vel detorquere non possent, nocentissimum Pelagianorum errorem sunt amplexi. Quid igitur? nos respondemus ex Augustino, Aliud esse necessitatem,aliud autem coactionem,quã tamen vtranque illi confundunt.Atque etiam hanc distinctionem esse verissimam scholastici confitentur,imprimisque Durandus,in libro 2. Sententiarum,Distinct.25.quæst.4.Num.7.Quum enim (quemadmodum diximus) homo, etiam post peccatum, manserit voluntate præditus,

nec

nec ea fuerit spoliatus, fit vt quod agit homo, volens agat. Itaque quatenus eam in homine voluntatem spectamus, dicitur homo esse suarū actionum & causa, & principium, illúdque etiam voluntarium, & agens, & à Deo quoque diuersum. Adeò, vt in vna & eadem actione, & Deum, & hominem ipsum spectare, tanquam causas duas, & diuersas meritò debeamus. Deū quidem, vti primum & summum rerum, & singularum actionum omnium quæ fiunt, principium. At hominem ipsum etiam eiusdem actionis causam ἐνεργητικὴν, & propinquiorē, & principiū voluntariū. Nā quod agit homo etsi Deo & ordināte & mouēte agit: volēs tamē & sciens agit. Ex quo fit, vt huius voluntatis suæ malo assentientis, & ad peccandum membra ipsa corporea mouentis ratione, meritò puniatur, quicunque mali aliquid perpetrauit. Volens enim egit, non coactus, non dissentiens. Et quod excipitur, At homo nihil aliud per se, quàm peccare iam potest: itaque necessariò peccat. Hoc quidem fatemur esse verissimum. Sed respondemus, ea ipsa quæ huiusmodi necessitate fiunt, non à nolentibus fieri sed à maximè cupientibus, totóque voluntatis impetu & affectu id facere desiderantibus. Sic Deus necessariò bonus est, non tamen inuitus. Sic boni Angeli necessariò Dei mandato obsequuntur, non tamen coacti. Sic diaboli ipsi necessariò iam sunt rebelles, atque Deo aduersantur, ac malè agunt, neque tamen inuiti, neque propterea quoque excusabiles. Quatenus igitur naturæ nostræ in tantam labem & miseriam prolapsæ seruitus spectatur,

impoſita certè quidem eſt nobis hæc peccandi neceſſitas,& ineuitabilis nobis, ídq; noſtrâ dũtaxat,nõ autẽ Dei ipſius culpâ: quatenus autem quale creaturæ gen' ſumus,& quẽadmodũ mala illa agamus,& perpetremus,conſideramur,certè volentes & ſponte operamur, atque agimus. Vnde neque inuiti,neque coacti, neque ea neceſſitate,quæ voluntatem nobis adimat, peccamus,ſed ſponte & volentes. Atque hæc eſt ſecunda aduerſariorum obiectio. Tertia denique ratio quæ nobis obiicitur,eſt huiuſmodi,Quòd iam ex rebus atque actionibus humanis tollitur omnis conſultatio,atque animi electio,quũ non niſi in vnam partem ſponte ferri dicitur noſtra voluntas, antequam ſimus Dei Spiritu renati: & iã nihil niſi mala admittere poſſimus. fit enim conſultatio de iis quæ aliter.i. in vtranque partem euenire poſſunt, non in vnum tantùm euentum. Eſt etiam animi electio è duobus vel pluribus propoſitis,quæ nobis, tãquam finis, placere atque obtingere poſſunt, vnius prælatio. Eligimus enim actionum noſtrarum fines, quemadmodum ex cõmuni philoſophorum ſententia loquuntur: conſultamus autem de mediis, quæ ad eum finem aptiora atque cõmodiora nobis eſſe poſſunt. Quæ igitur ſupereſt electio,ſi nihil niſi vnam tantùm partem expetit voluntas noſtra, atque in eam ſolam determinatè fertur? Quę conſultatio? ſi omnia iam tanta & tam ineuitabili neceſſitate nobis eueniunt quàm eſt dictum? Quid ad hæc dici poſſit,quærunt. Reſpondeo, Vtranque relictam adhuc nobis eſſe, etiã quales natura ſumus. Ac

electio-

electionem quidem non inter bonum & malū eligendum, ne erremus: sed duntaxat inter malum & malum, vt hoc illi præferamus. Est enim etiam in malis ipsis electio quædam, quia malorum aliud sæpe maius est & grauius: aliud autem minus & leuius: sic inter malas ipsas actiones alia magis virtutis speciem quandam adumbrare sæpe videtur, alia minus. Ergo in istis manet hominum non renatorum electio, quam isti vrgent. Atque vt ista electio etiam in non renatis manet, manet etiam consultatio, quatenus ad id, quod expetitur ab homine non renato, ipsorum hominum ratione & prudentia, hoc vel illo modo commodius, hac vel illa via breuius peruenīri potest. Ergo de eo ipso non renati deliberant & capiunt consilium: quia hæc ipsa vel bona, vel commoda, vel iucunda sibi putāt, quanquam tamen reipsa sunt mala omnia. In iis autem qui iam Dei Spiritu sunt regeniti, vti & consensum & voluntatem bonam efficit, & formatDei Spiritus: sic & electionem inter bonū & malum, & consultationem de verè bono & honesto, déque mediis honestis, per quæ ad Dei obsequium verissimè deducimur, donat idem Spiritus. Neq; verò mouemur subtili illa Scholasticorum distinctione, qui voluntatem à velleitate separant, eámque tantùm dicunt esse voluntatem, quam deliberatio præcessit, atque animi electio inter duo diuersa sequuta est. At velleitatem vocant assensum & motum voluntatis nostræ, qui fertur in aliquid non antegressa deliberatione, neque subsequuta electione, qualia multa expetimus temerè. Etsi enim a-

liud est velle cum deliberatione, aliud sine deliberatione, velleitas tamē est voluntas. Sed expositis internis illis actionum nostrarum causis, quæ efficientes, & proximæ quidem appellantur, de remotiore earundem, sed imprimis honestarum actionum causa, qui est Deus ipse, nobis dicendum est. Nam intetnè quidem agit in nobis Deus, non autem extra nos: remotior tamen causa est, quàm superiores duæ, quia neque voluntatis, neque intelligentiæ nostræ pars est Deus, sed vtranque impellens, ideóque superior causa & remotior, quàm nostra voluntas, & intelligentia meritò nominatur.

CAP. XIIII.

De Deo, qui est honestarum actionum nostrarum causa quidem efficiens, sed nulla tamen pars nostri.

EX ea verò comparatione, quæ inter Veterem & nouum hominē fieri breuiter ex Scriptura potest, quomodo Deus sanctarū actionū quas agimus sit author & causa, facilè cognoscetur. Duplicē igitur hominē nobis Dei Spiritu renatis, tribuit Scriptura, non quidē, quòd duas ὑποστάσεις & personas, quib. singuli cōstemus, in nobis esse fingat, sed duas tātùm, easdémque diuersas, intelligētiæ atque voluntatis nostræ qualitates, & διαθέσεις inter sese pugnantes. Nam sumus singuli vna tantùm ὑπόστασις & ὑφιστάμενον, non autem